

EPIST. CLXXXII.

*Domino sublimi, semper magnifico filio, Bonifacio, Augustinus,
episcopus.*

Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & frugali-
tas. Bene enim agere, & illicita non prohibere, consensus erro-
ris est. Quædam, dum de ecclesia egreditur, Christi virgo sacrata
ebriam Gothi Herpæ mentem & corpus incurrit. Habeat, quæso, mi-
les sub Comite positus disciplinam. Grave est enim, ut, quem ^{806.} Conf. Ep.
non vincit homo, vincat libido, aut volvetur vino, qui non vincitur
^{205.} ferro.

EPIST. CLXXXIII.

*Domino merito honorabili Patri, Augustino, Episcoporum sum-
mo, Bonifacius.*

TUæ sanctitatis epistolam admonitu me terrificante suscepi. Etenim
venerabilis Papa, si torus ille legitimus pavidos habet accessus; quo debet
puniri suppicio, divinas qui temerat rationes? Arguetur ergo profecto, qui
divina atq; humana neglexit, & quem libido prævenit, gladius ultor absimet,
eumq;, quem insobrium in tantis angustiis fama veridica publicavit, car-
ceris, peritum quocunq; suppicio, custodia retinebit.

EPIST. CLXXXIV.

Ego, quos diligo, arguo & castigo, non occidi desidero, nec carcere
plenō squalore retrudi. Sola sufficit admonitio. Poterit enim,
si ei divinitus concedatur, tempus pœnitentia condonari, qui Domini
templum ausus est violare. Sit ergo ipse, qui fecit, sui arbiter voti. Fas
enim non est, ut reus Episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si
poenituerit, reservatur. Nam si in barbarorum erroribus velimus, *ut *al. cùm
condecet, exercere vindictam, paucos repeliemus, nec ipsos animosos dec.
ad pugnam fore.

EPIST. CLXXXV.

*Domino sublimi semperq; magnifico filio, Bonifacio, Augustinus,
episcopus.*

Afriæ littus, ut audio, miles attigit transmarinus: sed *hujus meri. *al. cuius
ati Dux à catholica veritate dissentit. Quid orem, sicut oportet, meriti
ignoro. Ab Italia hostis est publicus nunciatus, contra victoria signa ^{dux, qui à}
superbas erigens hastas. Pacem inter nos fieri vellem, si scirem ^{cath. ver.} ple-
nius, quod ignoro. Adest quidem Africæ olim paratum in Italia bel-
lum; sed tamen non invideo, fili charissime Romaniæ. Sed dico,

OOOOO 3

quod